



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vnica Religione, Stvdio Catholicorvm Principvm, In  
Repyblica Conservanda, Liber vnus**

**Lens, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1579**

**VD16 L 1181**

Obedientiam quae superioribus in Republica debetur, maximè solui nouae religionis, praesertim vt nunc est eius nouitas, introductione. Cap. VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30005**

fibi religionis, quanquam reuera prophanæ & impiæ, nullóque vel authoritatis, vel rationis subnixæ fundamento, summam semper habuere rationem: & non multo Christiani ferent iniquius, sacris suis insidias strui, nouá que studia suscipi cõtra eã religionem, quam ab ipsius ore Dei sciant esse profectam? cuiusque adeo veritatem exploratam habent, vt si vel angelus Dei descendat de cælo, & aliud quã traditũ sit, annunciet, anathemate debeat abi re percussus? Idcirco laudatissimus ille princeps Theodosius, morte propinquante, filios suos præcipua cura hortatus legitur, vt pietatem perfectam custodirent. Hac enim (inquit) & pax conseruatur, & bella conficiuntur, & hostes dantur in fugam, & trophæa excitantur, & conciliatur victoria.

*Galat. 1.*  
*Theo. lib. 3. cap. 25.*

*Obedientiam qua superioribus in Republica debetur, maximè solus nouæ religionis, præsertim si nunc est eius nouitas, introductione.*

## CAPVT VII.

**E**ST & de obedientia dicendum aliquid, sine qua qui Rempub. consistere posse putat, haud secus facit, atque si ædificium quispian altum sine fundamento, vim vëtorum aut fluminum posse perferre arbitretur. Est enim hoc constituendum in republica primum, vt nec desint qui multitudinem per se inconditam & confusam moderentur, & vt illis fideli minimeque fucata obedientia pareatur. Quàm porrò sit ad obediendum parata noua religio seu heresis, id non ægrè cognoscit, qui norit eius matrem: quæ proculdubio superbia

perbia est; Superbiæ verò progenies, est omni  
 um quidem iudicio, q̄ sanum sapiunt, Inobe-  
 dientia. Ac reuera hæretici & schismatici, vti  
 superbi sunt, ita inobedientes & immorigeri  
 solét esse. Id quod imperatores Valentinian<sup>us</sup>, *Lib. 7. de*  
 Valens & Gratianus de Arianis certè declara- *trip. hist.*  
 runt epistola ea quã ad Episcopos Asiæ, Phry *cap. 9.*  
 giæ, Carophrygiæ & Pacatiæ conscripserunt.  
 In qua orthodoxorum quidem Episcoporum  
 hæc expressa laudatio est; Tributa secundum  
 leges inferre non respuunt, potestatiq; regiæ  
 non resistunt, sed sincera voluntate & superni  
 mandata Dei custodiunt, & nostris legibus  
 subiugantur. Quid verò, qualésve erga suos  
 principes Episcopi Ariani? Vos verò, inquit  
 illi, inobedientes esse monstramini, &c. Adri-  
 gã & Donatistarum exemplum priusquã ad  
 nostros veniam. Illorũ princeps & antesigna-  
 nus fuit Donatus: ad quem cum venissent qui  
 Constantis Imperatoris elemosynas mu-  
 neraque perferrent distribuenda per singulas  
 ecclesias: ille (teste Optato Mileuitano) se-  
 lito furore succensus, in hæc verba prorupit:  
 Quid est Imperatori cum Ecclesia? & de fonte  
 (inquit) leuitatis suæ, multa maledicta pro-  
 fudit: non minus quàm in Gregorium ali-  
 quando, ad quem sic scribere ausus est: Grego-  
 ri macula senatus, & dedecus præfectorum.  
 Iam tunc meditabatur (ait Optatus) cõtra præ-  
 cepta Apostoli Pauli, potestatibus & regibus  
 iniuriam facere: pro quibus, si Apostolũ audi-  
 ret, quotidie rogare debuerat. Hic ille Donatus  
 est, cuius de superbia, quæ illũ inobedienciæ  
 spiri-

*Lib. 2.*

spiritum, ceu mater filium, procréauerat, scripta sunt hæc apud eundem Optatum: Extulit (inquit) sic cor suum, vt nullum hominem sibi comparandum arbitraretur: & de tumore mentis suæ altior sibi visus est esse: quia quicquid est supra homines, iam quasi Deus est. Et cum per solum Deum soleant homines iurare, passus est homines sic per se iurare, tanquã per Deum. In quo si vnusquisque hominum errauerat, ipse prohibere debuerat: cum non prohibuit, Deus sibi visus est. Deinde cum ante ipsius superbiam, omnes qui in Christo crederant, Christiani vocarentur: ausus est populum cum Deo diuidere, vt qui illum sequuti sunt, iam non Christiani, sed Donatistæ vocarentur. Et si quãdo ad eum aliqui ex Aphricana prouincia veniebant, non quærebat illud, quod humana semper exigit consuetudo, de pluuijs, de pace, de prouentu anni aliquid interrogare: Sed ilico ad singulos quosque venientes hæc erant verba; Quid apud vos agitur de parte mea? Quasi iam verè populum cum Deo diuiserat, vt intrepidè suam diceret partem. Hæc Optatus de superbia Donati, vnde sunt nuncupati Donatistæ, qui eius à partibus contra Ecclesiam vbique diffusam constiterunt. Quando igitur ad obediendi humilitatem deposuisset animum is, quem tantus, tanque intolerabilis arrogantia spiritus possideret? Atqui hic vnus spiritus omnes religionis nouatores exagitat, redditque impatientes obedientia. Demittunt illi quidem sese ad tempus, & ad eum sæpe modum,

vt ni-

vt nihil dixeris humilitate submissius, nihil promptius ad obediendum: sed mera est impostura, & obediētiae fucus, nō veritas. Quod tum demū intelligitur, cum ad iustū aliquem numerum eorū multitudo peruenerit. Testis & Erasmus ipse in quadam epistola, sui tēporis sectarios tā insolenti fuisse inobediētia, vt etiā apertē dicere nō vererentur, malle se Turcæ nō baptizato, quā Turcæ baptizato parēre: hoc nomine Carolum Quintum Imperatorem suum optimum appellantes. Hocine ergo Apostolicum & Christianum spiritum redolet? Siccine impletur quod Apostolus ait: *Rom. 13.* Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit? At obedire (inquis) cernimus quotidie multos, quos etiam audimus parendum esse profiteri, sed si cordata illa, & fidelis syn- cerāque obedientia desideretur, quasi labasce re vrbis muros & tecta putat, breuīque ruinam pertimescit, quisquis coniecturā sagaci ex præteritis atque præsentibus futura metitur. Nempe cum illud obtinet, quod hodie quidam nouę religionis aut potius relaxationis authores, mitissimē creduntur dicere, seruandas esse tibi principum leges, sed ne ab ijs duntaxat deprehensus supplicijs afficiare, & conscientię quoque habendam esse rationē, sed alienę, non tuę. Hoc enim statuunt, legibus principum ciuilisque magistratus conscientias subditorum non obstringi, neque ijs violandis offensionem iramque Dei, sed hominis tantummodo pertimescendam esse. Quænā obsecro in hac obedientia, reipub. firmitas

firmitas est, quam humanus non Dei metus extorquet? quæ ad oculum intuentis obsequitur? quæ se tristis & inuita submittit, non læta & alacris obsecundat? Nonne hæc simulat, que sperabit fore clam, leges trāsgressura est? Nonne amoto metu, potestatem aliquando secularem pessundabit? Itaque hominum farinae huius, posteaquam numerus increuerit, celeriter fictæ obedientiæ larua deponitur: ne que tamen excitandis aduersus principes rebellionibus, totaq; in republica turbulentissimis motibus, in Deum peccari putatur. Hinc cum præcesserint sectarū nomina, paulo post seditiosorum vocabula & signa sequuntur: horumq; ex illis numerus cōficitur maximus.

*Rom. 13.* Atqui D. Apostolus ait disertis verbis: Qui potestati resistunt, eos diuinæ ordinationi resistere. Quo loco sine dubio potestatem pro superiore posuit authoritate, quæ præcipiēdi ius habet, cuiq; sit obtemperare laudabile. Nā diuina permissio seu concessio, quæ nomine potestatis interdum significata est: velut cum

*Ioan. 19.* dicitur Pilato: Nō haberes potestatem in me vllā, nisi tibi datum esset desuper. Rursumq;

*Luc. 22.* vbi dicitur Iudæis: Hæc est hora vestra & potestas tenebrarū. Cuiusmodi potestatem ad nocendum nō semper accipiunt mali, etsi nocendi volūtas non desit. Accipiunt autem interdum secundū occulta Dei consilia vel ad correctionem peccantium, vel ad vltionem perditorum, vel ad probationem fortiū, quibus nocere non sinuntur. Cuiusmodi etiam potestatem diabolus in beatum Iob acceperat, ma-

ximamq; est habiturus in castra sanctorum,  
 quando in fine seculi soluetur è carcere suo.  
 Hęc igitur diuina concessio atque permissio,  
 non est ea potestas cui sit obedire laudabile, *Rom. 13.*  
 aut de qua scriptum sit: Qui potestati resistit,  
 diuinę ordinationi resistit. Huic enim cum  
 etiam ad malum sit et peccatum, rectissimè si-  
 mili potestate resistitur. Namque vti nocere  
 nobis, quibusdam ad inferendas iniurias pa-  
 ratis, permittit Deus: ita sese tueri & iniuriã  
 propulsare non prohibet: Inulsęque Luthe-  
 rus docuit, non esse bello repugnandum Tur-  
 cis inuadentibus: ne videlicet Deo ipsi repu-  
 gnare homo videretur, atque illius potestati  
 resistere. Quo sanè constituto, iam nec diabo-  
 lo ad lapsum impellenti erit resistendum: qui  
 proculdubio nec tentaret quenquam, nisi iu-  
 sto Dei iudicio potestatem accepisset. Quid-  
 damque simile Iulianus olim effutijt, cum ad *Aug. li. 5.  
cōtra Iu-  
lianum,  
cap. 3.*  
 hunc ratiocinaretur modum: Si libido pœna  
 peccati est, neque à Deo pœna nisi iusta infera-  
 tur, ergo abijcienda pudicitia est, ne rebellis  
 in Deum castitas, latam ab eo dicatur enerva-  
 re sententiam. Sed potestas hoc loco intel-  
 ligenda est sublimior in ijs qui præsunt, at-  
 que ad alios moderandos & regendos guber-  
 nacula suscipiunt: cuiusmodi potestati prius  
 dixerat omnem animam subditam esse oport-  
 ere. Quam potestatem quoniam in rebus hu-  
 manis instituit Deus, per quam reges regnât,  
 & legum conditores iusta decernunt: huic q; *Rom. 13.*  
 resistit, diuinę profectò ordinationi resistit.  
 An potest autem culpę nihil habere, diuinę  
 resi-

*Ibidem.*

resistere ordinationi? Sed tamen quantum habeat culpæ nec Apostolus reticuit. Adiungit enim: Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Damnationem (inquis) certè, at eam quæ irrogetur à principe seculari. Sed non solet (inquam) ea nomine damnationis diuinis in literis intelligi. Deinde habes

*Ibidem.*

illud apud eundem Apostolum non paulo expressius: Ideoq; necessitate subditi estote (inquit) non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Quid dici potuit manifestius? conscientiam maculaturos pronunciat eos, qui præceptis principum parere recusent. Nulla autem re, nisi peccato, maculari conscientia potest. At hoc loco acuti scilicet interpretes, alienam significari volunt conscientiam, eorum nempe qui non credunt: ne si viderint Christianos magistratui non obedire, dicant religionem valere ad seditiones excitandas. Nam & Robertus Stephanus, uti alibi sæpè, ita hic quoque, Noui Testamenti marginem breuissima illa annotatione conspurcauit. Neque verò ad eam refellendam multis est opus, quando vel ipsa sufficiat contextus Apostolici vigilantior inspectio. Non enim solam timeri vult iram, quæ in pœna temporis huius intelligitur, verum etiam culpam quæ contrahitur ex offensa Dei. Quod ipsum & reddita ratione consequentibus verbis aperuit: Tanquam enim interrogasset quispiam cur & propter conscientiam potestati subijci Christianos oporteret, quia (inquit) ministri Dei sunt: ideoq; & illis tributa præstatur.

Cum



Cum igitur eosdē illos sublimiore præditos potestate Dei ministros appellet, qui eius in terris vice & autoritate fungantur, quid aliud significat, quam violationem horū constitutionis, cum Dei qui eos præfecit, offensione coniunctam: nec tam ministri quàm eius cui ministrant, iram pertimescendam esse? Posteaque concludens ostendit, quid principibus iure debeat: Reddite ergo (inquit) omnibus *Rom. 13.* debita: cui tributum, tributum, &c. Vnde perspicuè conuincitur, obedientiã, de qua prius loquutus ad hanc cõclusionem venerat, sublimioribus potestatibus deberi. Quod si debeat non humana solum persuasione, sed Apostolica plane sententia, quis dicere possit eius subtractionem culpa carere? Neque id negari potest, quin fiat vitiose quod fit contra Dei voluntatem. Hanc autem B. Petrus affirmat esse Dei voluntatem, vt præfectorum legibus dominorūque iussis pareatur. Id quod gentium Apostolus faciendum esse docet, non tantisper modò dum vident illi: sed omninò siue absint, siue præsentis operantium *Ephes. 5.* sedulitatem contemplantur. Atque is demum frugi famulus est, qui & absente domino nihilominus officium facit, tanquam Deo ipsi obtemperans: à quo mercedē est obedientiæ suæ laborisq; recepturus.

*Frustra hæreticos prætexere peccata præfectorum  
vt eis doceant obediendum non esse.*

## CAPVT VIII.

**Q**uidam autem hæretici ingressi semel præcipitem inobedientiæ viam, hanc  
**D** etiam